DEO OPTIMO MAXIMO VNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ
ET SANCTO LVCÆ ORTHODOXORVM MEDICORVM PATRONO.

QVAESTIO MEDICA,

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA

IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XXI. IANVARII.

M. IACOBO CORNVTI Doctore Medico Moderatore.

924.

An sitis, in rigore febrium, tepidæ potu lenienda?

VT calido & frigido conſtamus, ita vtriuſque appetitum Natura nobis inſeuit: illius, ὄρεξιν famem, huius ſitim appellant. Non vtramque tamen pellit vſus contrarii. Famem ſolidum, ſitim liquidum alimentum explet: vtrumque præſtat vinum, quod in omni morborum genere aſſuetis denegari non debet, cùm febri laborantibus ab antiquis exhiberetur. Quicquid famem ſedat calidum eſt, ſitis frigidum non vſque deſiderat, nec in bene valentibus, nec in iis quos aduerſa valetudo fregit. Infantibus tepido lacte natura ſitim reſtinguit: ſenibus Medicina eodem modo conſultum cupit, qui ſi viuere amant, tepidiuſculè bibere iubentur. Gemino hoc adiumento vita vtcumque fulta ſuſtinetur: æternitatem quippe in terris homines fruſtra expetunt, & Empirici aut Chymiſtæ auro potabili iniquiùs pollicentur. Poſt ignem ſcilicet æthereâ domo ſubductum macies & noua febrium terris incubuit cohors, quæ mortales omnes ad fata deſtinatiùs præcipitat.

NVLLI corporis particulæ parcit febris, & ἀρχὴν τοῦ θερμοῦ καὶ τοῦ ζῆν primùm inuadit: mox ſæuiente morbi feritate, calor nimius venas exurit, corporis ἐλαμψίν in modum foculi feruens vix digitis tangi ac manibus contrectari poteſt. Mentem quoque ſua deficit virtus & integritas. ἀλυσμὸς, ῥιπασμὸς, ἄσοι, cùm anima duello corpus penè colluctari ſignificant. Nec vno ſui genere mortale genus illa depopulatur: τὰ ἴδιστα ἰδίματα καὶ ἐπιφερόντα peſtilens generatim corrumpit, quæ quò celeriùs corripit, eò maturiùs purgationis & venæ ſectionis auxilia, etiam cum quadam temeritate rapienda ſunt. Muſculos & carnes hectica depaſcitur, ac veluti Cerberus tergemino gutture rori, glutini & cambio allatrat, ſpiritus (ſubtiliſſimi licèt) ephemeram non effugiunt, quotidiana, tertiana, quartana, continuæ aut intermittentes humoribus inhærent. Et eò turpius humanum deflagrat ædificium, quod eiuſcemodi incendium à putredine ſæpius excitatur.

FEBRIS nihil tam ſæuum habet quàm ſymptomata: dum accenſa eſt, pectus ægrè ducit animam: caput dolore ac vigiliis, mens ipſa delirio percellitur. Irrequieta iactatione artus fatigantur, ventriculi ἐυρυχωρία bilis effuſione redundat, lingua vligine tetra madet vel ſcabra ſiccitate, riget. Cor iracundia & palpitatione quatitur, os amaritudine perfunditur: corpus denique totum aduritur; acerbiſſimóque nunc pungitur foditúrque cruciatu, nunc fractum laſſitudine procumbit. Magna hæc profectò, parui tamen æſtimanda, niſi fatalis ille calor benigni & gratioſi nectaris fontem arefaciens ſitim inueheret, quæ, ſi vſus medelarum deficit, miſerè exaggerat calamitatum omnium cumulum. De cibo ſanè facilior cum ægris ratio eſt quem ſæpe ſtomachus reſpuit, de potione verò ingens pugna, eoque maior quo ardentior ſitis accenſa eſt. Illa verò non minus fatigat ineunte paroxyſmo, dum extrema corporis inalgeſcunt, rigent aut horrent; quàm dum vrget vritque nimius ardor ægrotantes, vtroque tempore pariter intolerabilis, non peræque facilè ſoluitur. In æſtu frigida copioſior porrigenda eſt, largo hauſtu pota, febrile incendium & cætera fere vniuerſa febrium obliterat incommoda, ardorem temperat, dolores lenit, mentem reuocat: & ſalutarem plerumque alui perturbationem aut criticum ſudorem promouet.

FEBRES omnes veras corporis humani peſtes non Diæta modò, quanquam primùm, ſed & Chirurgia & Pharmacia profligat: illa non venas tantùm ſecet, ſed & canales ſpiritales ſi quando ſerum putre ſubierit arterias: quæ ſecari poſſunt innoxiè dum venis non ſubſtratæ fuerint, cæſimque & non punctim aperiantur, ſingulari febrium malignarum leuamento. In horrore aut rigore venam aliquando ſecare non exhorreſcat Medicus, quo tempore ſanguis & ſpiritus ad Cor ſecedunt, cùm in ambitum habitúmque hac arte reuocentur, vnde forſan & ille optabilis horror, quem poſtmodum ſequitur ſudor, aut alui copioſa proluuies, & interdum vomitus, laudata pleriſque febrium ardentium ſolutio. Corpus tamen dum refrigeſcit, inhorreſcit aut riget, præſidiis non eſt temerè laceſſendum: etiamſi nonnullis tum exhibita καθαρσιν feliciorem quam in declinatione paroxyſmi euentum nacta fuerit: epomphalium quidem & quod χαλαζάδικον appellatur negligimus, aetites verò ſi admoueatur, aut eius portio ſumatur, rigores καὶ φρίκας repetentes ſoluere poteſt, vt & balneum, horis aliquot ante reducem paroxyſmum, aquæ tepentis: nihil enim tunc frigidum adhibere licet.

HINC ſummorum artificum oraculo cautum eſt, nequis ægrotantium inuadente paroxyſmo frigidam bibat, febriculoſos ſub id temporis aquæ penetrabile frigus adurit; rigor inualeſcit magis, æſtus febrilis vti carbo foſſilis, aſperſa aqua, ſuccenditur, humor crudus impingitur, venter intumeſcit, agglomerata in viſceribus aqua aut phlyctenas agit, & vrinarum vias decipit: aut illico per venas portæ deducta furit, bilémque in altum corporis intrudit. Vnde ſæpenumero vel ſimplex tertiana duplicatur, vel quæ interpolata fuerat συνεχοῦσα Medicus naturæ tum temporis ἀπαιτοῦντα, vt ignorantiam correcturus obſeruat, ita & votum potúmque frigidæ negat ægrotanti. Quiſquis illam cauſis morbificis impeditam extricare, vnáque artificio propè ſingulari morbi vim eludere cupis aut infringere, tepidam vel calidiuſculam aquam propina: ſitis actutum lenietur, frigus ſecedet, aſſatus humor addito ſoluente elixabitur, bilis facili vomitu & ἀλύπως effundetur, crudior pituita quæ in ventriculo ſtabulatur, & coiit incidetur, tenuabitur, coquetur, excernetur, εὐφορία conciliatur humoribus, εὐκρασία corpori, neque vllus vnquam ab vſu calidę hyderi metus, quę duriores & indomitos ſuccos ſubigens ac demulcens, herculeo quodam robore partes firmat, ſanitatem fouet, febre correptorum moleſtias, rigores, & cruciatus grauiores fugat.

Ergo ſitis, in rigore febrium, tepidæ potu lenienda.

F.M.I. BIBLIOTHECA

Proponebat Lutetiæ IOANNES GVISSE Remenſis. A. R. S. H. M. DC. XLIV.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Claudius Seguyn, Regis Chriſtianiſſ. Medicus Ordinarius, & Reginæ Regentis primarius.
M. Simon le Lettier.
M. Sebaſtianus Rainſſant.
M. Petrus Guenaut.
M. Nicolaus Brayer.
M. Cyprianus Hubaut.
M. Michael Toutain.
M. Simon le Tellier, Med. Reg.
M. Nicolaus Pietre.